Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36565
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

171

ultie.. fessi fuerimus delicta nostra. fidelis est et iustus ut dimittat nobis delicta
nostra. et purget nos ex omni iniquitate. non tantum preterita. sed et si qua forte
contraximus ex hac uita. quia non potest homo quamdiu carnem portat non habere uel leuia
peccata. Sed ista leuia que dicimus. noli contempnere. Si contempnis quando adpen-
dis. expauesce quando numeras. Leuia multa. faciunt unum grande. Multe
gutte. implent flumen. Multa grana. faciunt massam. Et que spes est. Ante
omnia confessio. ne quisquam iustum se putet. et ante oculos dei qui uidet quod est eri-
gat ceruicem homo qui non erat et est. Ante omnia ergo confessio. deinde dilectio. quia de ka-
ritate dictum est. caritas cooperit multitudinem peccatorum. Iam uideamus si ipsam cari-
tatem commendat propter surripientia delicta. quia sola caritas extinguit peccata. Su-
perbia uero extinguit caritatem. Caritas extinguit delicta. humilitas pertinet
ad confessionem. qua confitemur nos peccatores esse. Ipsa est humilitas. ut non dicamus illud
lingua quasi propter arrogantiam ne displiceamus hominibus. si nos iustos esse dixeri-
mus. Faciunt hoc impii et insani. Scio quidem quia iustus sum. Sed quid dicturus sum
ante homines. si me iustum dixero. Quis ferat. quis toleret. Apud deum nota sit
iusticia mea. ego tamen dicam me peccatorem. non quia sum. sed ne arrogantia odiosus in-
ueniar. Dic hominibus quod es. dic deo quod es. Dampnat deus quod inuenerit. Non
uis ut ille dampnet. tu dampna. Vis ut ille ignoscat. tu agnosce. ut possis
dicere deo. auerte faciem tuam a peccatis meis. Dic illi etiam illa uerba in ipso
psalmo. quoniam iniquitatem meam ego cognosco. Quod si confessi fuerimus delicta nostra. et
purget nos ex omni iniquitate. Quod si dixerimus quia peccatum non habemus. mendacem
eum facimus. et uerbum eius non erit in nobis. Si dixeris non peccaui. illum facis mendacem
cum te uis facere ueracem. Vnde fieri potest ut deus mendax sit. et homo uerax. cum
contra dicat scriptura. omnis homo mendax. deus solus uerax. Ergo deus per se ipsum uerax.
tu per deum uerax. nam per te mendax. Et ne forte inpunitatem uideretur dedisse
peccatis. quia dixit. fidelis est et iustus. qui mundet nos ab omni iniquitate. et dicerent
iam homines peccauimus. securi faciamus quod uolumus. purgat nos christus. fidelis est
et iustus. purgat nos ab omni iniquitate. tollit tibi malam securitatem. et inse-
rit utilem timorem. Malus esse securus. sollicitus esto. Fidelis
enim est et iustus ut dimittat nobis delicta nostra. si semper tibi displiceas. et mu-
teris donec perficiaris. Vide quid sequitur. Filioli mei. hec scribo uobis. ut